

06-12

1882.



INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

P E R A E S T A T E M

A DIE XVII. APRILIS ANNI MDCCCLXXXII.

INSTITUENDARUM.

PRAECEDEUNT ILLUSTRIUM VIRORUM AD MARTINUM CROMERUM EPISTOLAE
SELECTAE. EX TABULARIIS WARMIENSIBUS EDIDIT **PROF. DR. FRANCISCUS HIPLER.**

BRUNSBERGAE, 1882.

TYPIS HEYNEANIS.



LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

D R. FRANCISCUS DITTRICH,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.

KSIAŻNICA MIEJSKA
IM. KOPERNIKA
W TORUNIU



LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS
R E C T O R E T S E N A T U S
CIVIBUS SUIS
S.

Illustrium virorum ad Martinum Cromerum epistolae selectae.

Inter varia scriptio[n]is genera haud scio an nullum Vobis, Commititones, esse videatur, quod minus aetatem ferat quam epistolae. Subito enim saepenumero et raptim, sicut occasio fert, fusae potius quam scriptae nonnisi iis quibus scribuntur et exhibentur momentis inservire plerumque volunt brevemque ideo pollicentur vitam. Atqui ego nihil magis perennare censuerim quam clarorum virorum epistolas. Certe nulla eorum scripta magis hodie ab eruditis expeti, nulla diligentius conquiri, nulla libentius legi consueverunt. Videmur enim cum iis ipsis quos suspicimus atque admiramus versari et colloqui, nec tam eorum intimos sensus cognoscere quam animi effigiem, tanquam in quodam speculo, verissimis lineamentis atque adeo suis ipsissimis expressam intueri. „Habent epistolae“, ut Francisci Baconis de Verulamio verbis utar, „plus nativi sensus quam orationes, plus etiam maturitatis quam colloquia subita“.

Eiusmodi epistolis tabularia Warmiensia post tot bellorum praedas vastationes infortunia hodie quoque abundant, quae ad illustrandam historiam in primis saeculi decimi sexti mirum quantum valent. Inter quas, post Joannis Dantisci et Stanislai Hosii epistolas partim typis iam mandatas partim propediem foras dandas, tum rerum gravitate et varietate tum dictionis elegantia et nitore praecellunt Martini illae Cromeri et quae ad eum a viris illustribus scriptae sunt. Unde hac occasione scribendi oblata nonnullas ex hoc thesauro praedivite eodemque patro quasi margaritas seligere et Vobiscum, Commititones, communicare placuit, ut praeclarorum illius aevi virorum cogitationibus gaudiis moeroribus consiliis interesse quodammodo possitis atque eorum exemplo edocti spernere vanitates, aeterna sequi satagatis.

Brevem Martini Cromeri vitam a Thoma Tretero Canonico Warmiensi Lyceique Hosiani Brunsbergensis quondam alumno conscriptam et e codice Seminarii Clericorum Warmiensis denuo descriptam huic epistolarum collectioni praemittere omnino e re fore duxi. Plura qui voluerint, librum conferant ab Antonio Eichhorn, Decano Capituli Warmiensis piae memoriae, admiranda cum diligentia conscriptum atque Brunsbergae ante hos quatuordecim annos editum sub titulo: „Der ermländische Bischof Martin Kromer als Schriftsteller, Staatsmann und Kirchenfürst*.“ Cromeri autem, de qua modo mentionem feci, brevis vita eaque nondum edita est huiusmodi:

* Hoc opus ad verbum fere secutus est Cyprianus Walewski (Marcin Kromer. Warszawa 1874), nisi quod ad calcem libri sui 51 epistolas Cromerianas ex tabulariis Warmiensibus descriptas typisque nondum mandatas adiecit. De aliis epistolis Cromerianis iam impressis cf. Eichhorn l. c. p. 9. Erml. Zeitschrift V, 446 et Epistolarii Hosiani Cracoviae 1879 editi tom. I. p. XLIII*.

Martinus Cromerus e civitate Biecensi oriundus (a. 1512), J. U. Doctor, Canonicus Cracoviensis, Cantor Varmiensis, Sacrae Regiae Maiestatis Secretarius atque Polonicae historiae diligens scriptor fuit. A Sigismundo Augusto Rege ad Paulum III. Pontificem Maximum, deinde ad Ferdinandum Caesarem Orator missus, summam prudentiae et integritatis laudem consecutus est. Cum Hosius Cardinalis in Urbem profectus esset, ab eodem Episcopatus Varmiensis generalis Administrator, deinde Rege adnitente paulo post Coadiutor cum futura successione designatus et a Pio V. Pontifice approbatus et confirmatus est, quo in munere novem annos ita versatus est, ut nullum ob absentiam Cardinalis Episcopi detrimentum Ecclesia Varmiensis experiretur. Mortuo Cardinali in Comitiis Varsaviensibus solenniter ab Archiepiscopo Gnesnensi die VI. Decembris anno Domini 1579 consecratus est in Episcopum. Vir fuit insigni pietate et doctrina praeditus, et in tractandis negotiis singulari quadam dexteritate conspicuus. Ecclesiam Varmensem universamque dioecesim sanctis legibus et institutis ornavit, curam bonorum Ecclesiae maximam gessit, iustitiam cum rigore administravit in Episcopalis functionibus valde diligens et assiduus fuit. Cum ad aetatem proiectiorem devenisset, Stephani Poloniae Regis postulatione adductus, de consensu Venerabilis Capituli anno Domini MDLXXXV assumpsit sibi in Coadiutorem Illustrissimum Dominum Andream Bathoreum de Somlio Transylvananum, S. R. E. Diaconum Cardinalem. Ipse in senectute bona plenus dierum, rebus legitime dispositis et Ecclesiae Varmensi legato bono relicto, in Domino obdormivit anno Domini MDLXXXIX die XXIII. Martii; sepultus in Ecclesia Cathedrali Varmensi et aliis Episcopis appositus.

I. Tidemannus Giese Cromero.

1549. Octobris 29 Seburgi.

Meum habeo testem animum, multis iam annis affectasse me familiarem aliquem usum vestri propter ea quae de vestro minime fucato ingenio, moribus antiquis ac doctrina non vulgari fama tantum et eorum quae inde nata erant lectio mihi praedicarat arbitrabarque huic voto potiendo per communis amici negotia honestam me occasionem reperisse. Hac fiducia liberius coepi ad illam scribere de quadam laesi nominis mei causa, nihil minus veritus fore, quam ut negato obsequio non solum aversaretur potentem sed etiam offenderetur officii requisitione.¹ Verum cum conspicerem me impeguisse in animum vestrum, allata satisfactione contentus, satius duxi a scribendo cohibere deinceps studium illud meum, quam ingratiss literis reddere irritatiorem quem benevolum captabam. Libentius enim in eiusmodi soleo locum contentionis cedere amico, quam ut apologiis texendis disertus velim haberi. Habet D(ominatio) V(estra) silentii mei a se accusati rationem ideo adscriptam, ne ipsum ab offensi animi amarulentia profectum existimaret neve adeo me simultatum studiosum censeret, ut levium offendiculorum, quae saepe inter amicissimos quoque citra reprehensionem incidunt, sim tenax. Quin si quid dissidii inter nos interesset, non gravatim accipio quam D. V. offert de oblitterandis pristinis conditionem, integrum admissurus inter nos gratiam priore auspicaciorem. Nec detrecto quam defert literarum inter nos familiarem consuetudinem, modo sicut oratione et facundia me longe post se relinquit, ita crebritate quam promittit etiam vincat extimuletque iam lassum et tepentem. Reumo Dno. Episcopo Culmensi² ditionem relieti Episcopatus talem dimisi, ut credam non malam mihi habiturum esse gratiam de iis quae praestari a me potuere. Reliqua sunt eiusmodi, ut ob opinionem offensi iuris patrii quaedam etiamnum resideant nubeculae, quae ut et ipsae considerant conniti adhuc amicos illius velim. De his quid ipse sentirem, Sacrae Maiestati Regiae per Magn. dominum Palatinum Marienburg.³ nuper declaravi. Sed videntur, tanquam in vado sint, contemni omnia, etiam quae ab

universis sunt petita, haud scio an non ipsius solum periculo; nam meum quale sit, dum primae mihi in hoc consilio deferuntur, satis est perspicuum. Certe caveri undique omnia nihil obfuerit, etiamsi sint qui supervacaneum putent. Ego quod amici est officium facio facturusque sine fraude sum.

De redimendo in Cancellaria Regia diplomate confirmationis privilegiorum nostrorum cum privatum ego, tum publicis literis Senatus noster officium nostrum detulimus, modo forma scribendarum literarum, de qua nonnihil restabat inexcussum, conciliaretur, nec plus exigetur solito. Quod ego interpretor ut officio centum, scribis triginta aurei ungari numerentur. Quod proxime sub Paterna Maiestate observatum ferunt. Verum nihil est hactenus, quod sciam, responsum. Si mihi constaret ratum id fore Reumo. Dno. Cracoviensi Episcopo,⁴ curam rei conficienda ipse sumerem. Non erit ab re, si eius Reumae D. animum percontari meque de hoc reddere certiore D. V. non gravabitur. Ego in hoc episcopatu meo metu saevientis pestilentiae ad penitiora nondum sum progressus. Dego vero in recessu, libris et consiliorum commercio destitutus ac exulanti similis. Nam posteaquam Lubaviam reliqui,⁵ si nihil attulisse, plane egere et mendicato vivere cogerer. Ferenda haec tamen essent, nisi etiam raperentur, quae ius et fortuna mihi servavit, idque ab iis quos minime omnium decebat.

Habet D. V. epistolam non Laconicam. Ego plane Atticam vicissim expecto cum precatione prosperae diurnaeque valitudinis, optans me ab amico amari. Ex receptu meo Seburgo die XXIX. Octobris Anno MDXLIX.

Arch. Ep. Frauenb. D. 2 ep. 143, chirograph. ab extra: Reverendo et eximio J. U. D. Dno. Martino Cromero, Canonico Cracovien, Custodi Vistlicien, et Kielcen. Canonico, S. R. M. Secretario, fratri in Christo nobis dilecto et amico honorando.

¹ Cf. de hac causa Tidemanni Giese, Episcopi Warmiensis ab a. 1549—50, J. Mycielski, Kandydatura Hozyusza na biskupstwo Warmińskie roku 1548 i 1549. w Krakowie 1881. p. 42. 106. ² Stanislaw Hosio. ³ Achatium Czema. ⁴ Samueli Maciejowski. ⁵ Cf. Historische Zeitschrift für Ermland (E. Z.) I, 346 et Deutsche Biographie IX, 151.

II. Bernhardinus Cardinalis Maffaeus¹ Cromero.

1552. Junii 9 Romae.

Literis tuis, quas proximo accepi, reprehendis, Episcopo Chelmensi² concessas a nobis esse reservationes quasdam cum absolutione a iureiurando, quod in eo fides et iurisurandi religio apud nos et per nos minus sancta esse tibi videtur, ex quo pacta etiam conventa foedera coniugia, omnia denique quae fide et iureiurando continentur, evertamus atque labefactemus, quod illi ipsi ac caeteris Episcopis addimus animos, ut minus accurate fidem sanctae huic sedi datam colant, ac fortassis et alios homines ab eius observantia avocent, quod ultiro et non petenti motu proprio id concessimus. Ad haec ipse ut responderem, adductus sum non quo mihi displiceret in scribendo, ad me praesertim, libertas tua, quae vehementer etiam probatur, sed ut, quam de nobis opinionem prae te fers, ea quam a vero aliena esset, demonstrarem et, si possem, ex animo tuo penitus evellerem. Nam quod ait nos ultiro non petenti reservationes concessisse, num ultiro a nobis id datum est, quod serenissimo Regi vestro primum per literas, deinde etiam per legatum roganti dedimus? vide, mi Cromero, ne in quo tu facilitatem nostram accusas, id omne vestræ potius, ut ita dicam, importunitati atque molestiae attribuendum sit, qui multa persæpe etiam contra veterem morem atque consuetudinem ita petere soletis, ut regii nominis auctoritatem interponatis, ut quod novitati, quod licentiae denegetur, id non modo vobis, sed Regi ipsi denegari videatur. Nam de iureiurando quod in reservationibus concedendis violari tam multis verbis expostulas, quomodo quidem a nobis illæ conceduntur, non intelligo, quid

contra fidem et iurisiurandi religionem fieri dicatur; quamquam si quid in his aliquando veniae unius alicui certa de causa detur, num idecirco reliquis in rebus, quarum longe dissimilis est ratio, iurisiurandi ius atque religio tolli videatur? De vestris autem hominibus vide, quam bene existimes, si, quae in illos beneficia et merita conferuntur, haec apud ipsos non ad officium ac fidem retinendam, sed abiiciendam valere censes. Nos quidem haec ad aedificationem concedimus, quae si alii ad destructionem, ut verbis tuis utar, referant, num propterea nos condemnandi sumus? De Varmensi³ quod addis, cur non idem ipsi id cesserimus, qui pientissimus, qui doctissimus, qui denique ecclesiae utilissimus sit atque honeste et pie obaeratus: neminem mihi crede, quam tales viros donare malumus. Sed qui licet, si neque vos quicquam scribitis, et nobis ignota fere sint, quae istic geruntur omnia, nisi literis vestris aut nuntiis significantur? Et si nescius tu quidem es, quam pauca vos, vel nihil potius nostri arbitrii esse patiamini: ego vero non satis intelligere possum, cur is, qui facultates suas atque opes omnes ad religionem catholicam tuendam confert, qui aeternum alienum pie atque honeste contractum habet, aut non petat ipse, quae alii, certe non mali homines, postulant, aut ne accepturus quidem sit, si ea ultro a nobis deferantur. Quod autem illum queri scribis, quia nullum a me responsum acceperit, ego, qui caeteris omnibus respondere solitus sum, cur nihil ad eum rescriberem, cuius virtutem, doctrinam, pietatem plurimi facio, et quem, sicuti debo, multum amo? Sed literae interdum fortasse non perferruntur, cuius rei culpa a me quam longe absit, vides. De alieta ago tibi gratias; ea nihil aptius aut opportunius fieri potuit. Allata est enim tum, quum propter calores hoc amictus genere valde delector. Cancellarii literae mihi gratissimae fuerunt; ad eas quod rescribam cum nihil sit, ei tu meis verbis plurimam salutem dicas velim, atque omnia studia et officia prolixe deferas. Vale. Romae a. d. V. Jd. Jun. MDLII.

Arch. Capituli Frauenb. D. 4. ep. 12 archetyp.

¹ Bern. Maffeius a Paulo PP. III die 8. Aprilis 1549 creatus Cardinalis die 16. Julii 1553 mortuus est.
Uchański. ² Jacobo
³ Hosio.

III. Jacobus Cardinalis Puteus¹ Cromero.

1560. Novembris 2 Romae.

Quae tu prudenter consideras, ea maximi momenti esse intelligo; quid autem in gravissimo negotio agendum sit, quamquam te in eadem sententia esse, qua ego sum, plane confido, tamen summus ipse Pontifex de fratribus consilio mature statuet. Ego quantum possum ac debo, te rogo atque obsecro, ut quibuscunque rationibus potes Hosium nostrum confirmes, ne levia aliqua offensione Collegae commotus rem seriam, quae ipsius opis maxime indiget, desertam velit, neve sibi persuadeat, ut Collegae suo² obsequatur, quidquam de veteris ecclesiasticae disciplinae vigore, aut sententia sua remittendum; non enim novo more aliquid agetur, sed ut a patribus nostris accepimus, vetustissimos Ecclesiae catholicae ritus maiorumque exempla sequemur. Quod attigisti de Episcoporum in Tridentina Synodo non satis magna frequentia, quasi id ad infirmandam rerum in ea gestarum auctoritatem aut pondus aliquid valeat, velim te existimare, quod verum aequumque est, nihilominus Ecclesiae catholicae corpus universum repraesentari per eos tantum, qui evocati affuerunt, quam si omnes ad unum convenissent, posteaquam, indicta ad Synodus singulis die, nonnulli contempserunt aut non potuerunt adesse. Optandum quidem certe et tunc fuit et nunc quoque maxime est, ut ad rem publicam componendam frequentes Episcopi convenient; sed iniquum est postulare, id ratum non esse, quod

singuli quique Episcopi suo suffragio, ad quod tamen ferendum vocati venire noluerunt, non approbarunt. Sed nolo haec pluribus persequi, quae tibi notissima certissimaque esse scio. Vale et, quod crebro a te magnopere postulare soleo, Nuntium Apostolicum in tua provincia literis tuis interdum excita hortareque ad ea, ex quibus florentissimi Regni salutem pendere intelligis. Roma, quarto Nonas Novembbris MDLX.

Arch. Ep. Frauenb. D. 24. fol. 41. archetyp.

¹ Jacobus Puteus, Narbonnensis Gallus, a Julio PP. III a. 1551 creatus Cardinalis a. 1563 diem obiit. ² Zachariae Delfini; cf. Eichhorn, Hosius I, 338 et 342.

IV. Julius Pflug¹ Cromero.

1560. Novembri 9 Citii.

Quod e negotiis tuis tantum eripuisti otii, ut commentarium de Religione meum legeres de eoque iudicium ad me tuum perscriberes,² magno me beneficio tuo affectum arbitror et operam dabo, ut aliquando intelligere possis, te hoc ipsum apud hominem non ingratum posuisse. Nam cum non haberem domi, quibuscum de hoc genere commentari possem, tecum libenter per literas egi, ut abste cognoscerem, quae me nosse mea interesset. Spes de Concilio oecumenico, quam ostendisti, me plane recreat. Prudenter tu quidem Romam seripsisti, Pontificem nihil operae pretii facturum, nisi aut novum indicat concilium, aut, si Tridentinum continuari malit, promittat auditum iri protestantes, si quid de iis quoque, quae iam decreta sunt, afferre velint. Posterius hoc cum postremo Concilii Tridentini tempore protestantibus concessum fuerit, qua ratione nunc eisdem negari possit, equidem non video. Sed si inductionem novi Concilii flagitent, ut re integra causam suam dicere possint, nec alias ad Synodum ipsi atque Galli, qui idem postulare feruntur, venturi sint, cogitandum erit, si qua ratione id eis concedi possit, sed ita tamen, ne quae iam facta sunt decreta Tridenti, rescindi et quodammodo damnari videantur. Quod fortasse caveri posset, si Pontifex testaretur, se quidem non improbare decreta prioris Synodi, sed tamen, ne protestantes praeiudiciis eiusdem, antequam auditum essent, premi existimarentur, velle se, ut quasi re integra de omnibus capitibus controversis audirentur. Has cogitationes meas tecum communicandas putavi, in quo ipso, si forte ineptior fui, cogitabis, te ipsum culpam hanc praestare oportere, cum mihi facti huius autor fueris. Dialogos tuos de Ecclesia Christi videre quam primum atque legere cupio.³ Non enim dubito, quin aliorum, quae nobis praeclera peperisti, futuri sint similes. Vale. Citii V. id. Novembr. anno 1560. Julius Confirmatus Numbergensis.

Arch. Ep. Frauenb. D. 10. fol. 6. archetyp.

¹ Julius Pflug Misnensis a. 1541 Naumburgensis Episcopus electus mortuus est a. 1564. ² Impressum est hoc opus Coloniae 1562 sub titulo: *Institutio Christiani hominis*. ³ M. Cromeri de vera et falsa religione colloquiorum liber tertius, qui est de ecclesia Christi. Dilingae 1561.

V. Julius Pflug Cromero.

1560. Decembri 13 (Zeitz).

Accepi literas tuas, quibus tu quidem ostendis, quid in proximis literis meis desideraris, nimirum censuram censurae eorum, quae tu quidem in commentario meo notasti, aut rationem consilii mei

atque satisfactionem. De iudicio tuo, quod sapienter fecisti, est, quamobrem magnas tibi gratias habeam. Tantum abest, ut id ullo censurae genere reprehendendum putem. Consilii vero mei ratio non alia est quam ea, quam tu quidem agnoscere videris: me nimurum non velle errores adversariorum confutare aerius, sed quieta potius ratione dogma catholicum confirmare, ut si hac fortasse ratione adversarii nostri flecti possent. In quo tamen ipso hoc secutus sum, ut confirmatione veritatis errores huic contrarii per se quodammodo noti fierent. Atque ut intelligere possis, quanti faciam iudicium tuum, correxi pleraque omnia, quae tu notasti. Loco de baptismo parvolorum de sententia tua addidi: Verumtamen si quis sciens baptizetur ab haeretico, etsi sacramentum hoc irritum et mane non est eoque minus iterari debet, tamen non ante mundat eum, qui operibus haeretici malignis communicat, quam obex hic per reconciliationem de more ecclesiae catholicae amoveatur. De confirmatione posui parvulos pro infantibus. Mutavi item illud de extrema unctione et posui: „Nec est, cur quisquam opinetur, ritum hunc institutum fuisse, ut ad tempus tantum valeret et non potius verum esset et perpetuum Sacramentum.“ Locus de presbyteris atque sacerdotibus sublatus est, eo quod non magnopere ad rem pertinere videbatur. De Nestorio recte monuisti. Itaque mutavi locum et scripsi: „Nestoriani negabant, Deum et hominem unum esse Christum, Eutychiani autem in Christo duas esse naturas negabant. Marcionitae successerunt Marcionistis.“ Loco de constitutionibus addidi contemptum, quod deesse videbatur, et id quidem in hunc modum: „At qui non facit, quod constitutio praescribit, ei negligentia eaque a scando aut contemptu semota, fraudi non est.“ Quam de contemptu sententiam meam non ita longe post explicate posueram. Quod traditio veritatis habeat vires si non pares, tamen non dissimiles scripturae, mutavi et sustuli illud: non pares. Iam de Eunomio quod scripsi, eum docuisse, Christum habuisse carnem sine anima, adduxit me auctoritas Augustini de ecclesiasticis dogmatibus et Theodoreti in dialogo, quem Inconfusum inscripsit. De gratia et libero arbitrio quae tradideram, ea in hanc sententiam mutavi: „De gratia et libero arbitrio notum est illud Christi: sine me nihil potestis facere, item illud Pauli: Deum dare nobis et velle et operari pro bona voluntate. Quamquam autem omnes pii autoritate scripturarum ducti semper senserunt, sine gratia spiritus sancti neminem ea, quae ad salutem aeternam pertinent, vel cogitare vel suscipere atque exequi posse, tamen cum hoc dogma Pelagiani in dubium vocarent, sancti patres in ipsa cum illis conflicitatione idem ita explicarunt, ut intelligi possit, liberum arbitrium nostrum per gratiam spiritus sancti non quidem tolli, sed recreari potius ut e tenebroso fiat lucidum, e pravo rectum et e languido sanum; atque non hoc solum, sed id etiam nobis tribui docuerunt, ut quae volumus, libere faciamus, in eoque ipso gratia Dei perpetuo adiuuemur. Quod quale sit, Paulus ostendit, cum diceret: Gratia autem Dei sum id quod sum, et gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi, non ego autem, sed gratia Dei mecum.“ Quod autem de Tabitha attuli, id tale esse iudicavi, ut adversariis satisfacere posset, cum praesertim eodem argumento ad confirmandum purgatorium Lutherus olim usus fuerit. Sed utut sit, si fortasse idem offendere posset catholicos, quorum mihi maior ratio habenda est, omitti recte poterit. Porro quod scripsi, sacramentum ordinis conferre gratiam ad honestatem vitae, qualis e vita et moribus clericorum lucere debet, id ut facerem, commovit me digamia sacerdotibus prohibita, cum nisi gratia huius sacramenti etiam vim continendi daret sacerdotibus, durior esset vox illa digamiae, quam ut pro libertate christiana ferri posset. Quam sententiam memini a magnis viris defendi. Sed si ea fortasse nova esse videtur, deleatur. Inducam item id, quod de Pontifice maximo posui: „Quasi hic, si accusetur, iudicio Concilii oecumenici stare debeat.“ Quod cum scriberem, veniebat in mentem mihi eius, quem Concilium Constantiense sanxit, canonis I. et decere existimavi, ut, quibus Pontifex atque Caesar legibus soluti essent, eisdem se sponte sua subiicerent. Ac quia animadverto Calvini sectam in Germania nostra crescere, locum de Eucharistia aliquanto accuratius

tractandum duxi, idque in eum, quem hic habes, modum. De quo, ut de aliis item, ut cum Reverendissimo Domino Varmensi (Hosio) communices et utriusque vestrum iudicium ad me perscribas rogo; etsi enim me non arbitror a catholico sensu discessisse, si quid tamen forte sit, quod bonos ac pios offendere possit, eius admoneri sane velim. Mitto hic tibi scriptum quoddam Melanthonis, quod ii, qui non ita pridem Calvinus se adiunxerunt, tanquam oraculum certum edendum curarunt. Vale. Idib. Decembr. anno MDLX.

Arch. Ep. Frauenb. D. 28. fol. 37. chirograph.

VI. Antonius Brus Cromero.

1562. Junii 1 Tridenti.

Verum est, quod frater D. V.¹ negotium meum ex voto et sententia mea Romae peregerit. Quod vero ipse impetravit pro se, quid sit, primum post eius ad me redditum intellexi; alias forte iuvuisse aut consuluisse certo, ut non nudi tituli petiti et fortassis impetrati fuissent. Cuperem ego eum omnibus consiliis meis interesse, quod fatebitur sine dubio ipsem et me excusabit apud D. V. qui etiam extra consilium, quod apud me frequenter celebratur, multa ad partem ei communico. Sed quod eius opera non uti audeam publice in oratorum consiliis, in causa sunt homines suspicaces et ii quidem, qui temere nimium sibi tribuunt et quos phylautia audax non semel fefellit. Ego, ut soleo, mihi commissum ago re vera et aperte et sufficit mihi, quod haec tenus nihil ita ceciderit infeliciter, quod in sinistram partem capi queat. Testem habeo ecclesiam, quae hic repraesentatur. Fratrem Nicolaum ita impense diligo, ut cupiam quantum in me est omnem impendere operam ad decorandum ipsum. Hactenus cupivi videre et alloqui Caesarem, tum ut confirmetur res meae Pragenses, tum etiam ut ipse, non per alios, resignem Episcopatum Viennensem; et spero hoc brevi futurum. Postea volente Deo hue reversus secus, quam factum est hueusque, rem aggrediar pace Caesaris, et ita ut frater non semper in sua testudine² lateat, non magnis etiam rebus occupatus. Valeat. Ocius ex Tridento I. Junii 1562.

Arch. Ep. Frauenb. D. 28. fol. 52. chirograph.

¹ De hoc fratre Nicolao cf. Eichhorn, Cromer p. 15; ibidem et p. 66—82 de Antonio Brus, Episcopo Viennensi, dein Archiepiscopo Pragensi. ² Ms. testitudine.

VII. Joannes Franc. Cardinalis Commendonus¹ Cromero.

1566. Februarii 20 Augustae (Vindelicorum).

Eodem die antiquissimas literas tuas accepi binas Octobri et Decembri mense datas. Cum illis fuit exemplum mandatorum, quae data fuerant Crassino. Curabo, ne frustra miseris. Quae hic habemus nova, scribo ad Cardinalem. Ea tibi erunt communia. Quid vero magis novum, quam me iterum in Germanicos fluctus ex ipso Italiae Tridentino portu reiici? Quam mallem in Prussia apud vos esse, tuisque colloquiis et consuetudine frui, ac in divini illius hominis² sanctitate doctrinaque acquiescere; o te felicem, qui istic vitam vivis! Vale. Augustae 20. Februarii 1566.

Arch. Ep. Frauenb. D. 24. fol. 8. archetyp.

¹ Joan. Franciscus Commendone natus Venetiis a. 1525, creatus Cardinalis a. 1565 a Pio PP. IV, mortuus Romae a. 1584. Cuius vitam post alios descripsit Antonius Maria Gratianus. ² Hosii.

VIII. Joannes Cardinalis Moronus¹ Cromero.

1566. *Septembris 26 Romae.*

Nihil erat, Cromere doctissime, cur suspicari posses, me tui memoriam et benevolentiam deponere potuisse. Nam si de te nihil aliud cognovissem, praeter illud, quod, Oeniponti cum essemus, oculis inspicere potui, facile illud mihi potuisset excidere, utpote homini non admodum lynceos oculos habenti. Verum cum ego antea te ipsum, non ex faciei inspectione, sed ex multorum sermonibus et ex tuis ipsis lucubrationibus cognitum haberem et maximi facerem, amor hic sane erga te meus et mea de tua praestanti virtute opinio nullo temporis, nullo locorum intervallo poterat deleri. Oenipontana vero illa nostra consuetudine maxime sum delectatus. Nam praeterquam quod faciem quoque tuam cognovi, quod mihi gratissimum fuit, illud praeterea animadverti, te non minus doctrinac et salis in quotidianis privatisque sermonibus habere, quam antea in scriptis declarasses, qua sane re factum est, ut ad pristinum meum erga te amorem maximus accesserit cumulus. Quodsi honorifice de te mentionem feci apud summum Pontificem, nihil est, quod eo nomine mihi debeas, nec enim quicquam illi debendum est, qui sensum animi profert et sententiam suam verbis declarat. Tamen iucundissimum mihi est, testimonium hoc de te meum tibi homini gratissimo gratum fuisse, ac si quid mihi debere vis, facile illud totum poteris persolvere, si voles; ea vero erit persolvendi ratio, quod me tui amantissimum vicissim ames, mihiique signifies, si quid tui causa in Urbe procurandum erit, nec enim quemquam tui studiosiorem poteris invenire, quamquam ipsum iam Pontificem² et amicum habes et ita praedclare de tua virtute sentientem, ut apud eius Sanctitatem nullius precibus, nullius officiis indigeas. Vale. Dat. Romae die XXVI. Septembris MDLXVI. Tui amantissimus Joannes Cardinalis Moronus.

Arch. Ep. Frauenb. D. 72. fol. 80. archetyp.

¹ Joannes Morone natus Mediolani a. 1509, creatus Cardinalis a. 1542, Romae obiit a. 1580.

² Pium PP. V.

IX. Michael Cardinalis Bonellus¹ Cromero.

1569. *Maii 11 Romae.*

Cum literae tuae officii, pietatis et in SS. D. N. ac sedem ipsam Apostolicam observantiae plenissimae, tum honorificentissimi et consentientes hominum de te sermones effecerunt, ut Sanctitati sua² sis ipse charissimus. Nihil enim homine frugi ac viro probo et catholicae fidei studiosissimo acerrimoque defensore, aut melius aut amabilius fingi potest. Quod eo ad te saepius scribo, quo te Sanctitati Suae indies esse cariorem animadverto. Itaque quidquid negotii ac laboris orthodoxae fidei et Apostolicae Sedis causa suscipis ac sustines, sustines autem plurimum, id omne in memoria habet SS. D. N. et vehementer probat. Iam vero ista animi moderatione ac nulla prorsus honoris ullius ecclesiastici cupiditate vehementius delectata est sua Sanctitas, quo sunt hodie tui similes pauciores. Sed de hoc alias deque ceteris etiam rebus, quas scribis, cum videlicet otii plus erit ac satis fuerit liberatum. Ego vero ita tibi et benevolo et faveo, nemo ut me tui sit studiosior. Vale in Domino, vir eruditissime ac praestantissime. Dat. Romae die XI. Maii 1569. Cardinalis Alexandrinus.

Arch. Ep. Frauenb. D. 24. fol. 84. archetyp.

¹ Michael Bonellus, Pii PP. V ex sorore nepos, O. Pr., vulgo Cardinalis Alexandrinus dictus, creatus Card. 1566, mortuus a. 1598. ² Pius PP. V.

X. Joannes Grodecius¹ Cromero.

1569. Julii 26 Brunae (Brünn).

Bona hue allata fuerant de patronis et fautoribus nostris, quamvis in spe haerentia nova; sed ea deinceps nobis invitis conticuere, neque tamen gratam expectationem de instituto et prospero rerum successu deponendam existimamus, donec ad optatum exitum perventum esse intellexerimus. Illrum D. Cardinalem² nostrum in lucem urbanam evocari et simul ab amplissimo ipsius Principe³ splendores liberae legationis illi obtrudi et cum his iter illius accelerari audio, fidum vero Orestem in sede ipsius collocandum iampridem promeritae et destinatae vocationi suae multum reluctari aiunt. Mirari autem satis nequeo, cur neque ex Cusborii⁴ neque ex ullis amicorum literis quiequam certius de his hucusque acceperim. Ex una legatione Praesulis nostri⁵ aliae plures et illi et aliis praeter opinionem nasciturae videntur, et nonnulli nostri ordinis viri, qui latere cupiebant, quin et ex coenobiis quidam, ad aulam C(aesaris) pertrahuntur, ut eorum opera cum apud alias orbis Christiani nationes, tum apud Mahumetanos usui esse possit. Quamvis aliqui haec invitae Minervae onera recusatur videantur. Exemplum conditionum pacis octennalis et foederum Turcicorum cum Caesare nostro proximo tempore confectorum et Viennam allatorum vidi et legi, totque catenas et compages, quibus ea pax colligatur, adhibitas animadvertis, ut, si non fuerint papiraceae, non nisi fatali aliquo principum casu interea disruppi posse censeantur. Principum ille nimium expetitus conventus rursus in Octobrem differtur. Quod reliquum est, nihil nunc magis cupio et opto, quam ut de tuae dignitatis amplioribus ornamentis⁶ tibi quam primum gratulari possim. Bene vale et me favore tuo prosequere. Bruna 7 Cal. Augusti 1569. R. D. V. Servitor et confrater addictissimus Joan. Grodecius P(raepositus) B(runensis) Can. W(arminiensis).

Arch. Ep. Frauenb. D. 113. fol. 83. chirograph.

¹ De Joanne Grodziecki, Canonico Warmiensi, deinde ab a. 1572 Episcopo Olomucensi cf. commentationem nostram Viennae a. 1874 editam. ² Hosium. ³ Sigismundo Augusto. ⁴ Valentinus Kuczborski, Canonicus Warmiensis, Hosio a secretis. ⁵ Guilielmus Prusinowski, Episcopus Olomucensis. ⁶ Coadiutoria Warmiensi.

XI. Petrus Miskowski¹ Cromero.

1569. Augusti 24 Pultoviae.

Non est, quod R. D. V. utatur aliqua excusatione, quod discedens Lublino² me visere et eoram valedicere non potuerit; quandoquidem occupationes omnium nostrum cae fuerint Lublini, ut vix respirandi ac curandi corporis locus esset. Tum autem perspecta mihi satis est R. D. V. humanitas et benevolentia erga me singularis, de qua mihi equidem omnia prolixe polliceor, praesertim qui non multum tribuendum esse puto iis aulicis officiis, quae splendoris quidem et ostentationis plus aliquanto, quam solidae benevolentiae prae se ferre videntur. Gaudeo autem R. D. V. hic in mea vicinia³ vices Illmi. D. Cardinalis absentis gerere, id quod ego illi bene et feliciter evenire ac perpetuum esse ex animo precor, eaque re desiderium, quod ex absentia Illmi. D. Cardinalis capio, magnopere leniendum mihi putabo. Velim autem, quandoquidem non longe a nobis absimus, ut, si usus venerit, R. D. V. me et opera mea ad omnia et sua et Illmi. D. Cardinalis negotia libere utatur. De nepote meo quod seribit R. D. V., agnosco in eo illius in me et in meos benevolentiam et, quantum in me esset, perliberenter illum eum Illmo. D. Cardinali in Urbem missem, idque omnino facere decreveram, inconsulto etiam

illius patre, quem intelligebam consilium meum non esse probaturum; sed cum ille hoc rescisset, non modo reclamabat vehementer, verum etiam modis omnibus me obsecrabat et obtestabatur, ne id omnino facerem, quod et aetas pueri adhuc esset tenera et imbecillis, quae tantam et coeli et victus mutationem ferre non posset, et quod vereretur, ne ex corruptis ac depravatis illius regionis moribus tanquam ex contagione aliquam labem puer contrahat, cuius rei utinam nulla haberemus exempla. Itaque deliberatum mihi est, eum in Germaniam mittere, non propter mores, qui mihi quoque minime probantur, sed ut linguam Germanicam, cuius usus apud nos est frequentissimus, plane ediscere possit; postea, Deo volente, si mihi vita suppetet, etiam in Italianam mittetur, ubi adoleverit. Vellem autem, ut mihi R. D. V. suum impartiatur consilium, quo illum potissimum mitti censeat, ubi et bene germanice loqui discat et tutus sit a contagione haereticorum; interim autem, si ita R. D. V. visum fuerit, nolo eum Heilsperga movere, ne id, quod iam didicit germanice, obliviousatur. Ego huc nuper exhaustus et vehementer istis continuis laboribus afflictus ac debilitatus redii, ubi etiam ad ceteras molestias hoc accessit, quod Illnum. D. Cardinalem in discessu eius videre ac illi valedicere non potui. Nam illum iam ante aliquot dies ex dioecesi eius egressum fuisse, ex literis eius intellexi. Quamobrem R. D. V. rogo, si quid habet constituti cum Illmo. D. Cardinali de literis ultro citroquemittendis, faciat me de eo certiorem, ut ego quoque literis R. D. V. meas adiungere possim. Nam hinc qui Cracoviam eat, non facile reperitur. Ego autem cuperem, si fieri possit, saepissime ad suam Illmam. D. dare literas. Bene valere R. D. V. et me ab ea amari cupio. Datum Poltoviae die XXIII. mensis Augusti Anno Domini MDLXIX. R. D. V. amicus et frater in Christo Petrus Miskowski, Eppus Plocensis.

Arch. Ep. Frauenb. D. 29. fol. 9. archetyp.

¹ Petrus Myszkowski, ab a. 1567 Episcopus Polocensis, deinde ab a. 1577—1591 Cracoviensis, Regni Pol. Vicecancellarius.

² De comitiis Lublinensibus cf. Eichhorn, Hosius II, 345. ³ In Warmia.

XII. Petrus Miskowski Cromero.

1569. Septembbris 13 Poltoviae.

Binas literas R. D. V. hodie accepi, alteras missas a D. Kucborski¹, alteras a Jesuitis meis mihi redditas, utrasque singularis in me benevolentiae notis insignes, ad quas ego nunc non possum ita, ut vellem, respondere, tum propter adversam valetudinem, quae me toto hoc fere tempore male habet, posteaquam Lublino discessi, tum vero propter celarem discessum eius, cui has deferendas dedi. Facile intelligo, R. D. V. non multum posse voluptatis capere ex ea provincia, quam Illmus. D. Cardinalis et Maiestas regia illi imposuit², non quod admodum dura sit et gravior, quam ut humeris R. D. V. sustineri possit, sed propter rerum praesentium statum, qui iamiam propemodum ruere videatur, idque maxime propter impunitatem omnium scelerum et quod a nobis plane exulare videtur, propter quam regna de gente in gentem transferuntur Astrea, ita ut, quo quisque sit impudentissimus et importunissimus, ita ceteris praestare videatur. Utcunque tamen se res habet, nobis tamen statio nostra non est deserenda. Mihi quidem in mea dioecesi non multum est negotii cum haereticis, sed est cum hominibus feris, violentis, rapacibus, sanguinariis et qui vix unquam famem explevisse videntur, nisi cum aqua vitae vel aliqua eius generis crapula sese ingurgitaverint. Verum haec Deus viderit.

De nepote meo in Germaniam mittendo gaudeo, quod R. D. V. mecum sentiat, quamquam de Vienna adhuc dubito propter aulam, quae maxime est infesta literis. Meis Jesuitis Ingolstadium vel

Dillinga magis probatur; qua de re postea video. Nam puerum meum aliquantisper detinebo, propterea quod nunc scabie laborat. Interim tamen non patiar, eum bonas horas male collocare.

De ratione mittendarum litterarum Cracoviam assentior R. D. V. Quanquam enim non multum mihi esse negotii vellem in Italia, ut tamen cum Illmo. D. Cardinali possim, saepius per literas colloqui, numerabo libenter in annum fl. triginta tabellario, qui singulis mensibus Cracoviam literas deferat, quanquam etiam maior fortasse pars anni in conventu regni transigenda mihi sit, ubi maior est commoditas mittendarum litterarum.

Cum Cocco³ iam tandem transegit de parochia Elbingensi; et iam mandatum mittit ad resignandum. Petit autem, ut illi hoc firmum sit et ratum, quod illi Illmus. D. Cardinalis promisit, quod quidem ego quoque R. D. V. rogo, quandoquidem ille primus sit in Polonia, in quo decreta Concilii Tridentini extendantur, cum tamen hanc parochiam antea longo tempore ab haereticis occupatam ille tanquam ex orco in lucem revocaverit, non modico suo sumptu et labore. D. Valentinus Kucborski est mihi commendatissimus, et quandoquidem Italia illi non placuit, vellem illi Masovia placeret. Mei enim omnes (excepto uno Kos) quorum ego benevolentiam multis officiis et beneficiis meis comparasse me putaram, more improborum et ingratorum parasitorum relicto me fugerunt.

Bene valeat R. D. V. et de me sibi omnia fraterni animi officia polliceatur. Datum Pultoviae die 13. Sept. 1569.

Arch. Ep. Frauenb. D. 29, fol. 22, chirograph.

¹ Cf. Ep. XI. n. 4.

² Coadiutoria Warmiensi.

³ Nicolaus Koss, parochus Elbingensis.

XIII. Melchior Bilia¹ Cromero.

1569. *Septembris 22 Viennae.*

Non dici potest, quam mihi acciderit iucundissimus aspectus et collocutiones Illmi. D. Cardinalis Warmiensis, qui me hoc afficere dignatus est honore et optata laetitia, ut diverterit apud me Viennae, quo ego veni ex Hungaria, ut reciperem D. suam Illmam, cuius multis modis delectatus sum praesentia. Vel hoc non in postremis fuit nostris delectationibus, quod locuti sumus diutius de D. V. R. cum summa sui laude et significatione singularis utriusque nostrum erga se benevolentiae. Cogitet ipsa, quam mihi acciderint gratae literae D. V. R., scriptae XVIII. Augusti, quae occasionem non parvam dederunt nostris sermonibus. Quid multa! Conferebamus de firmissima spe, quam habemus in sua virtute et integritate, profuturam maxime D. V. R. Warmensi dioecesi, quam administrat, et sic campum habituram ad exercendam suam doctrinam, prudentiam et vigilantiam. Ipse Illmus. Cardinalis discessit a nobis in Italianam die Lunae proximo, valens optime atque animo omni iucunditate exhilarato. Comitetur sic illum cum suis gratiis Dominus Deus et D. Suae Illmae eam concedat felicitatem, quam eidem auguramus et optamus, et D. V. R. ego potissimum precor similem, mea sibi omnia studia offerens et vehementissime commendans. Viennae XXII. Sept. MDLXIX. D. V. admodum R. amicus et tanquam frater studiosissimus Melchior Bilia comes Nuncius.

Arch. Ep. Frauenb. D. 64, fol. 35, archetyp.

¹ Melchior Bilia, comes Sironi, Protonotarius et Nuncius Apostolicus Viennae.

XIV. Otto Cardinalis Augustanus¹ Cromero.

1569. *Septembris 24 Romae.*

Ex Balthasario Porembskio, familiari meo², cognovi, te, quae tua est modestia, mecum quidem non ausum esse queri per literas, quod ego te dignum non habuerim, cuius epistolis responderem; sed tamen de ea ipsa re ita ad se scripsisse, ut te illud submoleste tulisse facile appareat. Ego vero, mi Cromere, non solum in eo molestiae tuae libenter ignosco, sed etiam eam ipsam ob causam molestia te affectum esse facile patior; nisi enim me valde amares, non tantopere literas meas desideravisses, de quibus tamen nihil est, quod me accuses, quippe qui et tuis omnibus, quae quidem ad me pervenerunt, epistolis semper rescripserim, et tuos Dialogorum libros ad me missos Pontifici Maximo primus obtulerim³, deque illius paterna in te voluntate gravissimoque de moribus doctrinaque tua iudicio diligenter tibi significaverim, et nullas erga te officii partes sciens unquam praetermisserim. Epistolas vero tuas quod responsione non dignarer, nulla mihi neque te, neque me ipsum intuenti causa fuit; neque enim aut ego is sum, qui me a superbiae crimine difficillime tueri queam, aut tu is es, cuius ego literis respondere noluisse videri possim. An ego tibi rescribere gravarer, ad quem ob singularem probitatem et praeclaram eruditionem atque doctrinam ne ipsi quidem summi Pontifices ultro scribere gravati sunt; scilicet quem unum hominem in tota Polonia ab amplissimo viro, collega meo Cardinali Warmensi, sic diligenter fieri sciam, ut illum Ecclesiae Warmensi praeficere cogitet, eum ego contemnerem? Qua de re, cum mihi primum significata est, ea sum animi laetitia affectus, qua omnes boni; etsi enim amor erga te meus praecepimus est, non tamen mihi hoc sumo, ut eius rei causa maior ad me, quam ad omnes bonos laetitia pervenerit, quorum omnium constanti iudicio sic probaris, ut te in toto isto Regno unum existiment, cuius electione Cardinalis illi Ecclesiae optime consuluisse videri possit. Quare de me nunquam aliter, quam de homine tui amantissimo virtutumque tuarum praecone existimaveris. Quod ego non solum verbis, sed etiam, si usu venerit, re ipsa semper sic comprobabo, ut in eo nullum neque tuis, neque cuiusquam alterius vel precibus, vel hortationibus locum unquam relicturus sim. Vale. Datum Romae 24. Septembris 1569. D. V. R. amantissimus frater Otho Cardinalis Augustanus.

Arch. Ep. Frauenb. D. 24. fol. 86. archetyp.

¹ Otto Truchsess de Walpurg, Augustae Vindelicorum Episcopus, a. 1544 Cardinalis creatus, obiit a. 1573.

² Cf. E. Z. IV, 323. ³ Impressos Coloniae 1568 atque Pio PP. V dicatos.

XV. Otto Cardinalis Augustanus Cromero.

1570. *Martii 4 Romae.*

Quoniam epistolas nostras in lucro videris ponere, non privabo te isto fructu, idque eo minus faciam, quod ex hoc non parum ad me quoque redundat voluptatis, tecum, quocum praesens non possum, quasi per literas loquentem. Atque utinam, mi Cromere, quae te habere seribis non obscura meae erga te benevolentiae argumenta, haec tibi beneficio potius, quam voluntatis significatione, meum erga te amorem declaravissent, non quod amor beneficio semper metiendus sit (nonnunquam enim benefacimus etiam his, quos non ita multum diligimus), sed quia bene de te meritus, de virtute etiam bene meruisse videri possem; dum enim aliquod erga te meum beneficium extaret, meum quoque

virtutis studium obscurum esse non posset: sed in hac desiderii mei frustratione, ea me res consolatur, quod et tu tam multis naturae doctrinaeque praestantissimis bonis abundas, ut non magnopere haec requirere videaris, et quod mihi datum non est, ut (quemadmodum cupio) bene de te mereri possem, aliis fortasse licet: quibus ego tamen illud nunquam concessero, ut in dispari bene merendi facultate, parem mihi animi erga te voluntatem habuerint. Cui quidem voluntati si aliquid adiici potuisset, non minimum adiectum esset ea parte tuarum literarum, in qua de onere pastoralis solicitudinis tibi imposito non minus recte quam graviter iudicas: quem enim ad te amandum animi tui simplicis atque aperti nihilque de se ambitiose cogitantis tam illustris significatio non impelleret? Me vero non solum tuum illud de tali onere prudens sincerumque iudicium delectavit, sed etiam animum tuum ad parendum his, quibus debes, Deoque in primis paratum vehementer probavi; ita neque prudentia tibi defuit, quae animarum cura quam gravis quamque illi ipsi, qui eam susciperet, periculosa esset, intelligeret, et obedientia affuit, quae Dei vocationi pertinaciter non resisteret. Quibus virtutibus tuis permotus Sigismundus Augustus, Serenissimus Rex, non sine causa te dissidentium inter se Regum¹ pacificatorem elegit, ut quam in te ipso animi tranquillitatem nullis rerum humanarum casibus perturbari experiris, hanc eandem (pace inter eos constituta) dissidentibus Regibus afferres. Cuius rei tam salutaris conficienda causa te istam, ut scribis, ab amantissimo tui Cardinali Warmensi concreditam stationem deserere facile patior: si tamen stationem deserere dicitur is, qui Reipublicae causa invitus commissam sibi provinciam aliquandiu relinquere cogitur, quod idem multi quoque antea sanctissimi viri varias ob causas fecerunt. Sed haec omnia notiora tibi quam multis aliis, quae ne ipse quidem commemorassem, nisi tuis literis lacessitus ad scriendum fuisse. Extremum illud sit: ego quae ad commoda dignitatemque tuam vel tuendam vel augendam pertinere putabo, omnia diligentissime semper curabo. Vale. Datum Romae die IV. Martii MDLXX.

Arch. Ep. Frauenb. D. 24. fol. 91. archetyp.

¹ Daniae et Sueciae. Cf. E. Z. IV, 307.

XVI. Pius PP. V Cromero.

1570. Junii 2 Romae. (*Bulla Coadiutoriae cum responso Cromeri d. d. 1571. Februar. 15.*)

Pius Episcopus, Servus Servorum Dei, Dilecto Filio Martino Cromero, Canonico Cracoviensi, Salutem et Aplicam benedictionem. Romanus Pontifex, in potestatis plenitudine a coelesti Pastore constitutus, de statu Ecclesiarum quarumlibet, praesertim Cathedralium, ne aliquibus praegraventur incommodis, more pii patris prospicit diligenter, et ut Ecclesiae ipsae in spiritualibus et temporalibus valeant salubriter gubernari, iuxta datam Sibi a Domino intelligentiam de congruae provisionis auxilio providet et opportune, prout qualitas temporum et Ecclesiarum ipsarum utilitas persuadet, ad haec quoque exactae diligentiae studium adhibet, ut eisdem Ecclesiis illarum occurrente vacatione pastores praeficiantur idonei, qui populum suae curae creditum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare commissasque sibi Ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant autore Domino salubriter regere et feliciter gubernare. Sane cum charissimus in Christo Filius Noster Sigismundus Poloniae Rex Illustris, provide considerans Dilectum Filium Nostrum Stanislaum tituli Sanctae Priscae Presbyterum Cardinalem Varmensem nuncupatum, qui regimini et administrationi Ecclesiae Varmensis Sedi Aplicae iure fundationis et dotations immediate subiectae ex dispensatione Aplica praesesse dignoscitur, et cuius opera ac prudenti consilio Nos in multis arduis

peragendis negotiis et oneribus Stae Romanae Ecclesiae incumbentibus Nobiscum preferendis utimur, propter eius ingravescensem aetatem et ab ipsa Varmensi Ecclesia absentiam regimini et administrationi Ecclesiae Varmensis huiusmodi intendere sat commode non valere, per suas literas Nobis supplicaverit, ut te dicto Stanislao Cardinali in Coadiutorem perpetuum et irrevocabilem in regimine et administratione praefatis constitueremus et deputaremus: Nos cupientes profectui et salubri successui eiusdem Ecclesiae Varmensis consulere, et ne illa, dum vacabit, aliquibus subiaceat detrimentis, de persona utili et idonea providere, ac spectantes, quod Tu, qui utriusque Iuris Doctor et in Presbyteratus ordine constitutus et Ipsius Sigismundi Regis Secretarius existis, et de cuius vitae munditia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione aliisque multiplicum virtutum donis fide digna apud Nos testimonia perhibentur, eandem Ecclesiam Varmensem scies, voles et poteris autore Domino salubriter regere et feliciter gubernare, habita super his cum Fratribus Nostris deliberatione matura, Te a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium duntaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, intuitu et contemplatione eiusdem Sigismundi Regis Te praefato Stanislao Cardinali, quoad vixerit et dictae Ecclesiae Varmensis regimini et administrationi praefuerit, in Coadiutorem perpetuum et irrevocabilem in regimine et administratione Ecclesiae huiusmodi in spiritualibus et temporalibus cum plena, libera et omnimoda potestate, facultate et autoritate, omnia et singula, quae ad huiusmodi Coadiutoris officium de iure vel consuetudine aut alias quomodolibet pertinent, faciendi, gerendi et exerceendi, ita tamen quod idem Stanislaus Cardinalis, quamdiu vixerit et dictae Ecclesiae Varmensi praefuerit, etiamsi ab illa abfuerit, omnes et singulos census mensae Eppalis ipsius Ecclesiae Varmensis ex omnibus et singulis illius cameratibus, castris, oppidis, villis, molendinis, lacubus et denique aliis bonis et possessionibus quomodolibet provenientes et ad ipsam mensam spectantes, qui in prompta pecunia pro tempore existenti Episcopo Varmensi singulis annis persolvuntur, et quos ipse Stanislaus Cardinalis nunc percipit, libere et absque ulla diminutione per se vel alium seu alios eius nomine propria autoritate percipere et exigere ac in suos usus et utilitatem convertere: nec non ultra ipsos census etiam Cameratum Gutstatensem una cum oppido, villis, praediis, molendinis, mellificiis, lacubus, agris, pratis, nemoribus, toto denique territorio ad ipsum Cameratum Gutstatensem pertinentibus, habere, tenere, possidere ac illis omnique eorum libera administratione et dispositione uti, frui, potiri, sicuti prius et hactenus fecit, libere et licite valeat, Ipsius Stanislai Cardinalis expresso ad hoc accedente consensu, de Eorundem Fratrum consilio Aplica autoritate constituimus et deputamus. Et nihilominus eidem Ecclesiae Varmensi praefato Stanislao Cardinale cedente etiam ex causa permutationis, vel decedente seu illius regimini et administrationi huiusmodi alias quomodolibet praeesse desinente, et illa quovis modo vacante etiam apud Sedem praefatam exnunc prout extunc, et e contra de persona Tua Nobis et eisdem Fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta etiamsi tempore vacationis huiusmodi dictum Coadiutoris officium exercere non inceperis, et ad ipsam Ecclesiam Varmensem censuerit quis per electionem assumi, cum illa Ecclesia Varmensi in singulos casus et eventus praemissos futurae illius vacationis ex persona Ipsius Stanislai Cardinalis ad liberam dispositionem Nostram vel Successorum Nostrorum Roman. Pontificum spectare atque ideo in hoc de nullius praiejudicio agi dignoscatur, prout Nos nemini praiejudicare, neque iuribus alicuius derogare intendimus, de simili consilio dicta autoritate providemus, Teque illi in Episcopum praeficimus et pastorem, ac de eadem persona Tua eidem Ecclesiae Varmensi provisum Teque illi in Episcopum et pastorem praefectum fore decernimus, curam et administrationem ipsius Ecclesiae Varmensis Tibi in eisdem spiritualibus et temporalibus plenarie committendo. In illo qui dat gratias et largitur praemia

confidentes, quod dirigente Domino actus tuos praefata Ecclesia Varmiensis per tuae circumspectionis industriam et studium fructuosum regetur utiliter et prospere dirigeretur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Volumus autem quod Tu, antequam huiusmodi Coadiutoris officium exerceas, catholicae fidei professionem, iuxta formam quam sub Bulla Nostra mittimus introclusam in manibus cuius malueris Catholici Antistitis gratiam et communionem dictae Sedis habentis emittere omnino tenearis. Quodque ab alienatione qualibet bonorum immobilium et pretiosorum mobilium mensae praedictae penitus abstineas, ac quod de gestis et administratis per Te ratione huiusmodi Coadiutoris officii, iuxta tenorem constitutionis felic. record. Bonifacii PP. VIII Praedecessoris Nostri super hoc editae quae incipit Pastoralis, rationem reddere tenearis. Quocirca mandamus per Aplica scripta: discretioni Tuae, quatenus impositum Tibi a Dno. onus regiminis et administrationis Ecclesiae Varmiensis huiusmodi sic sollicite geras et fideliter exequaris, quod exinde sperati fructus adveniant, ac dicta Ecclesia Varmiensis gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, Tuque praeter aeterna retributionis praemium Nostram ac Sedis praedictae benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis: Nec non Dilectis Filiis, Capitulo et Vasallis dictae Ecclesiae Varmiensis ac Clero et Populo civitatis et Dioecesis Varmiensis, quatenus Capitulum Tibi humiliter intendentes exhibeant Tibi in his omnibus quae ad huiusmodi Coadiutoris officium pertinent illo durante et deinde tanquam Patri et Pastori animarum suarum obedientiam et reverentiam debitas et devotas: Ac Clerus Te pro Nostra et Sedis praedictae reverentia benigne recipientes et honorifice pertractantes Tua salubria monita et mandata suscipient humiliter et efficaciter adimplere procurent; Populus vero Te tanquam Patrem et Pastorem animarum suarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes Tuis monitis et mandatis salubribus humiliter intendant: Ita quod Tu in eos devotionis Filios et Ipsi in Te per consequens Patrem benevolum invenisse gaudeatis. Vasalli autem praefati Te debito honore prosequentes Tibi fidelitatem solitam ac consueta servitia et iura Tibi ab eis debita integre exhibere procurent; alioquin sententiam sive poenam quam respective rite tuleris seu statueris in rebelles ratam habebimus et faciemus autore Dno. usque ad satisfactionem condignam inviolabiter observari. Rogamus quoque et hortamur praefatum Sigismundum Regem, quatenus Te ac praefatam Ecclesiam Varmensem Tuae curae commissam habens pro Nostra et eiusdem Sedis reverentia propensius commendatos, in ampliandis et conservandis Iuribus Vestris sic Vos benigni favoris auxilio prosequatur, quod Tu Eius celsitudinis fultus praesidio Te possis in commisso Tibi curae Pastoralis officio Deo propitio prosperari ac Ipsi Sigismundo Regi a Deo perennis vitae praemium et a Nobis condigna proveniat actio gratiarum. Et insuper Tibi, ut officio Coadiutoris huiusmodi durante commodius sustentari valeas, motu proprio, non ad Tuam vel alterius pro Te Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de Nostra mera liberalitate: Tuum ut eodem Coadiutoris officio durante unum et unam Cracoviens. et alterum et alteram Kielcens. Canonicatus et Praebendas, nec non unam Sandomiriens. ac alteram Vislicens. oppidorum saecularium et Collegiatarum Ecclesiarum Custodias quas obtines, .ac quorum singulorum fructus redditus et proventus viginti quatuor ducatorum auri de Camera secundum communem aestimationem valorem annum ut accepimus non excedunt, etiamsi ad ipsas Custodias consueverint qui per electionem assumi eisque cura etiam iurisdictionalis immineat animarum, retinere libere et licite valeas, quibusvis constitutionibus et ordinationibus Aplicis ac Cracoviens. et Collegiatarum Ecclesiarum praedictarum iuramento confirmatione Aplica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, autoritate praedicta tenore praesentium de specialis dono gratiae dispensamus. Decernentes propterea Canonicatus et Praebendas ac Custodias huiusmodi interim non vacare: Irritum quoque et inane, si secus super his a quoque quavis autoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Volumus autem quod Canonicatus et Praebendae ac

Custodiae huiusmodi debitibus propterea non fraudentur obsequiis, et animarum cura, si qua illis immineat, nullatenus negligatur, sed illarum ac dictorum Canonicatum et Praebendarum congrue supportentur onera consueta. Ac quod Tu officio Coadiutoriae huiusmodi cessante Canonicatus et Praebendas ac Custodias praedictos quos ex tunc vacare decernimus dimittere omnino tenearis. Praeterea ad ea quae ad Tuae commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter intendentis Tuis in hac parte supplicationibus inclinati, Tibi ut, postquam provisioni et praefectioni praefatis locus factus fuerit, a praedicto seu quoconque alio malueris Catholico Antistite etiam gratiam et communionem dictae Sedis habente, accitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus Catholicis Eppis similes gratiam et communionem habentibus, professione fidei prius per Te facta praedicta, munus consecrationis recipere valeas. Ac eidem Antistiti, ut recepto prius per Eum a Te Nostro et Romanae Ecclesiae nomine solito fidelitatis debitae iuramento iuxta aliam formam, quam etiam sub alia Nostra Bulla mittimus interclusam, munus praefatum autoritate Nostra impendere liceat Tibi possit facultatem concedimus per praesentes. Volumus autem et eadem autoritate statuimus atque decernimus, quod si non recepto a Te per ipsum Antistitem praefato iuramento et professione fidei huiusmodi non emissa idem Antistes munus praedictum Tibi impendere Tuque illud suscipere praesumpseritis, dictus Antistes a Pontificalis officii exercitio et tam ipse quam Tu ab administratione tam spiritualium quam temporalium Ecclesiarum Vestrarum suspensi sitis eo ipso. Praeterea volumus, quod formas factae professionis fidei et praestiti iuramenti huiusmodi Nobis de verbo ad verbum per tuas patentes literas Tuo sigillo munitas per proprium Nuncium quantocius destinare procures. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrorum absolutionis, constitutionis, deputationis, intentionis, provisionis, praefectionis, decretorum, voluntatum, mandati, dispensationis, concessionis et statuti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursum. Dat. Romae apud S. Petrum Anno Incarnationis Dncae. millesimo quingentesimo septuagesimo, quarto Non. Junii, Pontificatus Nostri Anno quinto¹.

¹ Eiusdem fere argumenti sunt literae, quas Pius PP. V. brevi post, scil. d. 22. Julii 1570, ad Capitulum Warmiense dedit. Quarum tenor hic est: „Pius PP. V. Dilecti filii, salutem et aplicam benedictionem. Superioribus diebus cum charissimus in Christo filius noster Sigismundus Augustus Rex Illustris per literas a Nobis vehementer petiisset, ut dilecto filio nostro Stanislao tit. Sanctae Priscae presbytero Cardinali Hosio, seu Warmensi nuncupato, in Ecclesia ista vestra Coadiutorem cum futura successione constituieremus, dilectum filium Martinum Cromerum, eiusdem Ecclesiae Canonicum, virum cum ob excellentem doctrinam morumque et vitae integritatem insignem, tum etiam prudentia rerumque usu praestantem, faciendum nobis esse existimavimus, ut Maiestatis suae postulatis iustis praesertim satisfacientes, uno eodemque tempore et ipsius Cardinalis, cuius tot praeclara extant in Dei Ecclesiam sanctamque hanc sedem Apostolicam merita, affecta iam aetate, laboribus parceremus, et isti Ecclesiae optime consuleremus. Quocirca de Venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium consilio praedictum Martinum eidem Cardinali Coadiutorem in ista Ecclesia cum futura successione constituimus et deputavimus. Ut autem quod nos, prout Ecclesiae vestrae utilitas maxime postulabat, prudenter fecimus, vos in bonam partem accipiatis et huic rei enixe petente vestro Rege per nos laudabiliter gestae libentius acquiescatis, in ipsis literis nostris apostolicis, quas super eo confici iussimus ad instantiam dicti Cardinalis, vobis successoribusque vestris diligenter cautum esse voluimus, quominus eius ipsis causa de iuribus consuetudinibusque vestris super eligendo Episcopo quicquam deinceps detrahatur; Hortantes vos plurimum in Domino vobisque mandantes, ut eundem Martinum in Coadiutorem suscipere et ea quae Coadiutori debentur, officia et obsequia prompte atque alacriter praestare velitis, quod vos pro vestra eximia in Deum omnipotentem pietate et erga nos sanctamque hanc sedem Apostolicam reverentia facturos esse non dubitamus. Sedulo quippe vobis est considerandum, quod singularis quidem casus hic esse videtur, quando quidem ipse Cardinalis, ex quo tempore fuit in Cardinalium Collegium cooptatus, decimum iam annum non ex electione vestra, verum ex dispensatione eiusdem sanctae sedis Apostolicae Warmensem agit Episcopum, ita ut nullum iuribus, privilegiis et consuetudinibus vestris praeiudicium per actum praesentem allatum esse videatur, quae vobis in omnibus posthac semper salva atque integra nos velle manere his nostris etiam literis testatum facere voluimus. Dat. Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XXII. Julii MDLXX. Pontificatus nostri anno quinto. Coe. Glorierius⁴. (Arch. Capitul. Frauenb. C. 75.)

Responsum Cromeri.

Maximo me beneficio a S. V. affectum esse arbitrarer, dum ea me, Rmo et Illmo Dno et patrio meo Cardinali Hosio, petente S. Rege nostro Polono, Coadiutorem in Varmensi Episcopatu dedit successoremque designavit, nisi oneris impositi magnitudinem et pericula invidiamque et offensiones multorum magis quam honorem considerarem. Verum enimvero in ipso quoque onere imponendo eximia tamen extitit nec ea simplex eiusdem S. V. suaviter in me effusi animi significatio et beneficentia. Primum quod ea S. Regis mei de me desiderium non tam libenter subsecuta est, quam cupide praecucurrit etiam propemodum, sicut ad me perfertur. Deinde quod aliis usitatum in Sacro purpuratorum Patrum senatu proponendi munus favoris abundantia ipsa sibi desumisit meque immerntem et prope incognitum amplissimis verbis et honorificentissimis elogiis ornavit Patrumque, qui maxima ex parte me norant, suffragiis praeivit. Postremo me sumptu expeditionis liberaliter levavit. Quibus rebus ita me sibi obligavit, ut, cum omnia me Ipsi debere profitear, nihil tamen in me inveniam, quo tantae eius in me propensioni atque benignitati vel minima ex parte respondere queam. Deum orabo, ut S. Vram pro me clementer remuneretur servetque Ecclesiae suae sanctae diutissime salvam et in columem. In observanda autem S. sede Apostolica propugnandaque et propaganda fide catholica, quod potissimum S. V. cum amplissimo Cardinalium collegio spectasse et a me expectare existimo, ita me ope divina fretus geram, sicut hactenus quoque gessi, planeque ut intelligatur, in utroque omnia me prius quam voluntatem et studium defecisse. Mandato autem S. V. satisfaciens mitto ipsi confessionem eius ipsius fidei apud virum ornatissimum D. Vincentium Porticum dextre et fideliter eiusdem S. V. et S. sedis Apostolicae legatione fungentem in regno Poloniae his ipsis verbis a me editam. Quod reliquum est, S. V. me totum dedo eiusque gratiae et protectioni etiam atque etiam commendo. Heilsbergae 15. Febr. 1571.

Arch. Capit. Frauenb. Acta inter M. Cromerum et Capitulum Warmiense ab a. 1575. C. 2. fol. 70 sq. apograph. — Responsi Cromeriani apographon saec. XVIII legitur apud Katenbringk, Misc. Varm. II, 758 (Arch. Ep. Frauenb. H. 19, 758).

XVII. Marcus Antonius Cardinalis Amulius¹ Cromero.

1570. Junii 3 Romae.

Non dirimit aut minuit silentium nostram veterem amicitiam; ea enim validissimis fundamentis nititur, virtute tua, arctissimis vinculis nectitur amore in me tuo, firmatur praeterea expectatione, quam iamdiu concepimus, fructus illius et auxilii, quod iis turbulentissimis temporibus in religione viri probi et in primis Illustrissimus Dominus meus Varmiensis nobis polliciti sunt. Nuper vero cum te Coadiutorem in ista Varmensi Ecclesia declaratum intellexerim (non potui enim corporis incommodis detentus adesse) incredibili laetitia affectus sum. Tibi itaque et toti provinciae gratulatus, quicquid in me est opis, auctoritatis, gratiae tibi ultro non solum promitto, sed etiam debebo, si quid tua gratia me facturum monueris. Vale. III. Non. Junii 1570. D. V. R. studiosissimus M. Ant. Card. Amulius.

Arch. Ep. Frauenb. D. 24. fol. 92. archetyp.

¹ Marcus Antonius Amulius (Mula), Reatinorum Episcopus, a. 1561 a Pio PP. IV Cardinalis creatus est. De quo cf. Poggiani epist. III, 416.

XVIII. Stanislaus Rescius¹ Cromero.

1570. Junii 4 Romae.

Quod ego semper a Deo omnipotente precatus sum, ut R. D. V. quam tot praeclaris donis et muneribus augere locupletareque dignatus est, in eo loco constitueret, in quo latissimum campum habere possit, eas dotes, quas pleno quod aiunt cornu Deus in illam infudit, ad utilitatem Ecclesiae Dei depromendi, id iam hoc tempore evenisse gaudeo ac divinae Maiestati gratias ago, quod cum Regiam Maiestatem, tum ipsum etiam Ill. D. Cardinalem in eam voluntatem adduxerit, ut R. D. V. viventi sibi Coadiutorem, mortuo autem et aeternam illam in domum translato successorem elegerit; Ecclesiae vero Dei, tot modis afflictae et exagitatae, maiorem in modum gratulor, quod R. D. V. in partem sollicitudinis vocatam habitura sit contra immanes lupos istos, qui sic gregem Domini dispergunt, acerrimum defensorem, qui nulla in re euras omnes et cogitationes suas libentius consumet, quam in iuvanda Ecclesia Dei et ab istorum hostili rabie vindicanda. Gratularer autem etiam ipsi R. D. V., nisi scirem, quod consolationis magis quam gratulationis indigeat, quandoquidem haec dignitas in ea tempora incidit, in quibus quomodo possit aliquis vel Episcopum vel Consiliarium agere, difficile est iudicare, et qui vere Episcopus et vere Senator esse velit, in summas difficultates incurrat necesse est. Sed non est obscurus singularis R. D. V. zelus, singulare ad iuvandam Ecclesiam Dei studium, quod tum scriptis contra hostes illius editis, tum laboribus pro illa susceptis, sic orbi christiano repraesentavit, ut ad quos modo fama accessionis istius pervenerit, non poterint non laetari Deoque gratias agere, quod id quod in intimo animae habebat D. V., quo humanus oculus non penetrat, eduxit in lucem, donando illi non solum ut bene vellet ipsius Ecclesiae, verum etiam in quibus apparere posset, quid vellet. Illmo quoque D. Cardinali, D. meo clementissimo, gratulor, cuius hanc de Coadiutore constituendo cogitationem Deus sic est benedicere dignatus, ut ei piae multis aliis D. V. R. offerret, dignum tali Episcopo Coadiutorem, cui munus hoc demandaret. Fauxit Deus, ut ille quam diutissime tali Coadiutore gaudeat, ipsa vero R. D. V. felicissime oviculas, in quarum aeterna salute procuranda sanctus hic Cardinalis consenuit, gubernet. Quod superest, me gratiae, benevolentiae patrocinioque D. V. diligenter etiam atque etiam commendo, ac Deum precor, ut D. V. aetatem det, quam meretur, servetque animum, quem dedit. Dat. Romae, ubi ante diem tertium commigravimus, ex Vaticano, 4. Junii A. D. 1570.

Arch. Ep. Frauenburg. D. 116. fol. 3. chirograph.

¹ De Stanislao Rescio, fido Hosii alumno et secretario, neconon protonotario Aplico cf. E. Z. VII, 114 sq.

XIX. Otto Cardinalis Augustanus Cromero.

1570. Junii 17 Romae.

Tu vero si, ut scribis, epistolas nostras antehac in lucro non posuisti, ne deinceps quidem pones; nihil enim maius in posterum habiturae sunt, quod hucusque habuerunt, amorem quidem illum erga te nostrum, quem tibi per se ipsum sufficere dicis, in omnibus recognoscere poteris, beneficentiam quominus agnoseas, id erit in causa, quod etsi mihi ad bene de te merendum voluntas adest, facultas tamen abest; sed quando non minus de beneficentia, idonea occasione oblata, quam de benevolentia mea tibi exploratum esse video, aliquanto id minus moleste fero. De onere tibi iniuncto nihil est quod amplius queraris, vel quod omnino iam ferendum est, vel quod eius difficultatis, quam in eo sustinendo experiri

te scribis, praeclarum fructum superioribus hisce diebus, meo quidem iudicio, es consecutus. Nam cum Serenissimo Poloniae Rege postulante Pontifex Maximus de te in Ecclesia Warmensi Illmo et Rmo. Cardinali Hosio adiutore substituendo ad Cardinales frequentissimo Senatu retulisset, tanto omnium consensu tantaque probitatis, doctrinae prudentiaeque tuae testificatione res est excepta, ut neque Pontifex ipse in referendo, neque Cardinales in accipienda relatione vel gravius de te iudicium facere, vel honorificentius loqui potuerint. Eo die in Senatu nos quoque affuimus, eamque super Pontificis relatione sententiam diximus, ut idem Illmus. ac Rmus. Card. Warmiensis postero die ad me mitteret, qui eius ipsius sententiae nomine mihi gratias ageret; quanquam non magis ego in te, quam quilibet ceterorum Collegarum meorum fui officiosus. Fuit enim illud verum et sincerum Cardinalium omnium de te iudicium, ut eorum nemo dubitaret, in te adiutore substituendo praeclare se illius Ecclesiae saluti utilitatique consuluisse, quod ego te ex aliorum literis intelligere malo, quam ex meis. Qua de re cum tibi gratulor, tum mihi ipsi gaudeo, qui de tua probitate, doctrina, pietate sic semper existimavi, ut te quovis honore ac dignitate dignissimum iudicaverim; de cuius etiam dignitatis amplificatione, adiuvante Deo, quid praeterea expectem, non libet augurari, ne id auribus tuis magis dare, quam quid vere de te sentiam significare videar; sed de hac re nimis fortasse multa. Puto enim non solum te tibi ipsi satis esse cognitum, sed ut ipse tibi cognitus esse posses, non mediocriter laborasse, quod idem a summis viris et in omni scientiarum genere principibus laboratum esse video. Pacificationem istam, de qua scribis, non successisse doleo; quare non successerit, eandem, quam tu quoque adscribis, causam fuisse iudico. Orandus est humiliter Deus, ut misericordiae magis suae, quam alienorum peccatorum memor, cum Reges istos, tum populos eorum ditioni subiectos respiciat. Absentiam isthinc tuam nemini incommodasse gaudeo. Omnia te a me, quaecunque ad commoda dignitatemque tuam pertinebunt (quae ipse modo praestare possim), sine ulla haesitatione expectare volo. Qua in re non dubito, quin voluntatem meam tibi probaturus sim, operam ut probem, non tam sperare videor, quam optare posse. Vale. Datum Romae die 17. Junii MDLXX.

Arch. Ep. Frauenburg. D. 24. fol. 93. archetyp.

XX. Adam Konarski Cromero.

1570. Junii 27 Spirae.

Spiram salvus perveni. Primo octiduo ter ad Caes. Maiestatem sum admissus, iamque negotia tractari sunt copta. Statim abs meo reditu valde gratam rem mihi intellexi ex literis Roma ad me scriptis, te a Sua Sanctitate in Coadiutorem Varmensem plene confirmatum esse, quod et tua et mea et Prussiae causa vehementer gratulor teque mihi collegam collateralem factum gaudeo. Non minori cum laetitia idem mihi nuntiaverunt congratulabundi Rmus. Dnus. Nuncius Bilia et orator Venetus Michaeli. Qui omnes una mecum veniunt in spem, tibi brevi non de Episcopatu solummodo, sed etiam de galero congratulatum iri. Comitorum imperii principium nondum scimus. Tarde conveniunt Principes. Moguntinensis iam adest, Trevirensis et Coloniensis intra quindecim dies exspectantur. Ego interim, ut possim, negotium pacificationis transigere do operam, venioque in spem, rem ad bonum exitum deventuram esse. Postea plura. Vale ac me veteri benevolentia et fraterno amore prosequere. Dat. Spirae 27. Junii 1570. R. D. V. frater obsequentissimus Adam Conarski, Eppus Posnaniensis.

Arch. Ep. Frauenburg. D. 29. fol. 93. archetyp.

XXI. Franciscus Krasinski¹ Cromero.

1571. Martii 19 Varsoviae.

Comperendinationis causae Sarpavianaes literas mitto ad R. D. V.; ex iis literis reliqua cognoscet, quae ad eam causam pertinere videbuntur. De Coadiutoriae negotio quod Venerabile Capitulum ad Regiae Maiestatis cognitionem distulisse videtur, communicabo ante omnia consilium cum Rmo. Domino Nuntio Apostolico, qui R. D. V. optima cupere videtur. Inde si quid erit, quod agendum sit, omni studio a me curabitur. Est enim mihi negotium hoc R. D. V. cordi. Interim, quod facit. gerat se pro Coadiutore, dum Capitulum de iuribus Ecclesiae suae Regiam Maiestatem, quantum voluerit, informet. Non puto autem Regiam Maiestatem eius sententiam suam, quam semel atque iterum tum S. Domino nostro, tum Venerabili ipsi Capitulo, tum reliquis etiam Varmiensibus praefectis et subditis testatam fecit omni genere literarum et instructionum suarum, esse mutaturam. In quo sane meum studium defero R. D. V. Expectabimus, dum hic mittat Venerabile Capitulum et factum suum, quod, ut ex literis R. D. V. intelligo, velle facere videtur, apud Regiam Maiestatem excuset. Si miserit, et de indigena et de salvo electionis iure videbimus. Non est autem verisimile, Maiestatem Regiam indigenae vocabulum aliter interpretaturam esse, quam legibus et constitutionibus regni est comprehensum. Ita sane, ut electionis ius salvum et sartum tectumque existimari a Capitulo oporteat, dummodo non extra gremium Capituli desumptus Episcopus Ecclesiae illi praeficiatur. Sed hoc totum, ut dixi, ubi Capitulum hic miserit, videbimus. Quodsi non miserit, tum nos quidem de alio remedio prospiciemus, quod huic negotio sit bonum atque commodum. In quo ipsa etiam R. D. V. me de sententia sua faciat primo quoque tempore certiorem. Ipsa enim in re praesenti facilius videre potest, quid recte fieri in hoc genere aut possit aut debeat. Praesidia adversariorum, quibus tantopere fidere videntur hic in aula, debilitari incipiunt vehementer. Quod quidem R. D. V. tacitum penes se conservet. D. Patricio² quod R. D. V. bene cupiat in Canonicatu suo Cracoviensi dimittendo, pergratum est mihi, uti etiam antea D. V. R. significavi. Expectabit is non gravate tempus id, quod illi R. D. V. in suis ad me literis assignat. Est enim, quod scit, moderatis in hoc genere cupiditatibus, et R. D. V. rebus in omnibus libenter admodum morem gerit. Itaque facile confido, ipsam quoque R. D. V., cum tempus illud venerit, et observantiae ipsius erga se et postulatorum meorum et promissi quoque istius sui dignam esse rationem habituram. Bene valeat R. D. V. Datum Varsoviae die XIX. mensis Martii anno domini MDLXXI. R. D. V. amicus et fr. addictissimus Franciscus Crasinski, Praepositus Plocensis, Archidiaconus Varsoviensis et Regni Poloniae Vicecancellarius manu sua.

Arch. Ep. Frauenburg. D. 30. fol. 26. archetyp.

¹ Ab a. 1572—1577 Episcopus Cracoviensis, R. Pol. Vicecancellarius.

² Nidecki.

XXII. Vincentius Laure Cromero.

1578. Octobris 18 Varsaviae.

Cognovi ex epistola, qua D. V. R. binis meis literis respondet, se postremam Iubilaei concessionem per totam dioecesim suam promulgavisse, Bullam autem coenae Domini (exceptis quibusdam ad hanc regionem minime accommodatis) in tempus magis idoneum de sui etiam Capituli sententia distulisse. Utrunque probo, et D. V. R. studium ac vigilantiam agnosco, idque non sine pietatis eius commendatione

meis literis Smo D. N. significabo. Laudo item, qua D. V. R. et Venerabile Capitulum nihil post interpositam in Synodi provincialis decretum appellationem sibi tentandum existimarunt, antequam rem omnem ad Illum Cardinalem Varmensem detulissent; cum praesertim in mora, ut ego quoque arbitror, nihil sit periculi, postquam novo istius Ecclesiae scitu de honorario Regi pro rata parte contribuendo abunde iam satisfecerunt, sic, ut eiusdem Ecclesiae rationibus prudenter consuluerint; quod ipsi etiam Regi placuisse vehementer laetor. Illud tamen scio D. V. R. non latere, nimirum Episcopos omnes, qui nec Archiepiscopum, nec Primate, sed Pontif. Max. superiorem tantummodo agnoscunt, debere ex Concilii Tridentini praescripto Provinciae, quae sibi vicina proxima est, synodo interesse eiusque decreta pro suo cuiusque Ecclesiae commodo et usu amplecti. Hac lege et Varmensem Ecclesiam adstringi, dubium non est. Et profecto rationi consentaneum videtur, ut Gnesensis potius quam alicuius exterae provinciae synodus R. D. V. sibi deligat; praesertim cum Rigensis a catholica religione iam diu desciverit.

Quod autem ad synodi statuta attinet, ego pro meo Apostolicae Legationis munere curavi, ut Religioni propemodum labenti coniunctis totius cleri animis subsidium ferretur, utque honestis omnibus rationibus Ecclesiae incolumenti prospiceretur. De ipso honorario sanciendo eorum cura fuit, qui Regiam Maiestatem quoad Ecclesiae iura tuenda propensiorem redderent, sibi aliquo beneficio pro Reipublicae difficultate deviciendam putaverunt. Iisdem igitur hoc ipsum atque eius generis alia, quae res politicas spectant, consideranda et constituenda reliqui. Librum, cui Agendorum ecclesiasticorum titulus est, tempore comitiorum coronationis Serenissimi Henrici Regis sub Rmi Cuiaviensis Episcopi¹ ac D. V. R. nomine iam editum, memini mihi ab eodem Episcopo esse oblatum, ipsum quoque libellum Nuntii Apostolici et omnium calculis a synodo approbatum et receptum esse affirmo; quomodo autem, quod D. V. R. ad me scribit, suum ipsius nomen suppressum fuerit, plane ignoro; verum huiusmodi lapsus emendari facile poterit, cum acta synodi edentur, quod fiet, cum primum a sancta Sede Apostolica ad nos mittentur comprobata, idque me facturum recipio, nisi antea, quod assidue contendeo, in Italiam reverti mihi liceat. Gratum mihi fecit D. V. R., quod promulgationis ipsius Iubilaei formulam et in sua Ecclesia visitanda cohortationem atque admonitionem ad clerum scriptam cum eadem epistola ad me miserit. Quod superest, cupio R. D. V. diu valere felicem. Dat. Varsaviae die XVIII. Octbr. MDLXXVII. R. D. V. studiosissimus ac deditissimus Vincentius Epus Montis regalis, Nunt. Aplicus.

Arch. Ep. Frauenburg. D. 31. fol. 86. archetyp.

¹ Stanislai Karnkowskij. De Agendis Cromerianis cf. Erml. Past.-Blatt I, 18 sq.

XXIII. Stanislaus Cardinalis Hosius Cromero.

1578. *Decembbris 10 Romae.*

Cum rediret isthuc Rdus Pater Possevinus, noli committere vacuus ut meis literis ad te veniret, quem ego pluribus tibi commendarem, nisi semetipse pietate et eruditione satis commendatum omnibus redderet. Sed et de nobis Collegioque nostro Braunsbergensi adeo praeclare meritus videtur, ut dignus sit, quem omnibus humanitatis officiis prosequare. Illo etenim autore factum est, quod S. D. N. in Collegio Braunsbergensi quinquaginta adolescentes (externos tamen) alendos ac in literis pietateque instituendos decrevit, sumptu centenorum Ducatorum in menses singulos pro eorum sustentatione constituto.¹ Facit optimus iste Pontifex rem vero pastore dignam, quae magnum fructum ecclesiae

Dei allatura videtur. Quamobrem tam pios conatus consilio tuo auxilioque iuvabis et Rdo huic Patri praesto semper aderis, in quibus opem tuam imploraverit. Quod a te pluribus contendarem, nisi te sponte sua facturum scirem, quae ad gloriam Dei catholicamque religionem propagandam pertinere videbuntur. Quod reliquum est, cupio te diu bene feliciterque valere. Romae X. Decbr. Ao. 1578.

Arch. Ep. Frauenburg. D. 19. ep. 180. archetyp.

¹ De hoc alumnatu Pontificio Braunsbergensi cf. Bibliothe. Warm. I. p. 168. Supra portam domus lapideae (Steinhaus), in qua alumni Pontificii Braunsbergenses per duo saecula et deinde ab a. 1800 alumni Seminarii dioecesani Warmiensis habitabant, insculptae sunt imagines Gregorii PP. XIII et Innocentii PP. XII, in quibus inscripta hodie leguntur haec epigrammata: GREGORIUS XIII | FVNDAVIT Ao. 1581 | INNOCENTIVS XII | RESTAVRAVIT Ao. 1693 et infra: DEO ET ECCLESIAE | ZELOSA ROM. PONTIFICVM | LIBERALITAS. In tabula vero marmorea prope ambulationem eiusdem domus haec verba incisa sunt: GREGORIO XIII | Gente Boncompagno, Patria Bononiensi, | Pontifici Virtute, Doctrina, meritis, in Vrbem | & Orbem Maximo, Seminariorum pro | diuersis mundi partibus viginti trium (& | in his Braunsbergensis pro Suecia, Gothia, Van- | dal: Norueg: Dania. Pomer: Prussia, Liuo. Moscho: | Russia, Lithua: & Hungaria. Ao. 1582) Fundato- | ri munificentissimo memoriam hanc erigi | fecit JOANNES STEPHANVS WYDZ|GA Episcopus Varmiensis; ut legant et uideant, | qui carpunt quae non capiunt: Romanis Ponti- | ficibus esse simul diuitias artemq; fruendi: | & Catholicam Ecclesiam habere opes non | ut seruet, sed ut bene eroget. | Ao. 1664.

XXIV. Stanislaus Rescius Cromero.

1579. Augusti 26 Romae.

In summo et vix consolabili animi mei dolore, quem ex Illrimi patroni et benefactoris mei dormitione¹ capio, et in summis occupationibus exequendae voluntatis, quam testamento scriptam reliquit, non mirabitur R. D. V. quod ei breviter et confuso perturbatoque ordine scribo. Videor nunc primum Romanum appulisse, ita nunc rerum facies nova appareat. Quocunque verto oculos, lugere nunc videntur omnia, et certe vix unquam luctus in Urbe fuit tam publicus quam in huius divini Cardinalis decessu. Ne Pontifex² quidem ipse lachrimas tenere potuit, cum ad pedum oscula cum nepotibus³ simul accessissemus. Dixit enim: „Havemo perto una gran colonna della chiesa di Dio, ornamento del Collegio nostro et splendor di questa corte: Gia pregara Dio per noi quel santo Cardinale.“ Sed et mihi suffunduntur oculi lachrimis. Itaque ad rem properabo. Sacerdos hic redit in patriam obtenta dispensatione. Petivit se meis litteris R. D. V. commendari. Commando maiorem in modum. Dedit hic nobis doloris poenitentiaeque non vulgaria signa, ut deinceps de ipso videamur posse nobis omnia meliora polliceri. Magnas in obtainenda dispensatione molestias devoravit. Iuvi ego quantum potui et seriem totius negotii Pontifici explicavi. Sat iam poenarum sit benigno patri. Misericordiam, ait, volo et non sacrificium.

Commando me in gratiam R. D. V. maiorem in modum et ut Ecclesiae Varmien. quam diutissime praesit utque vivat optantibus cunctis Deum precor.

Olim Arch. Ep. Warm. in Heilsberg, nunc Bibl. Gymn. Linköping. XXII ep. 147. chirograph.

¹ Hosii, qui obiit die 5. Augusti 1579.

² Gregorius PP. XIII.

³ Ulricus et Stanislaus Hosius.

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGORUM.

Dr. Henr. Oswald, P. P. O., h. t. Decanus.

- I. De Deo creatore ac de divina providentia disputabit; doctrinam dogmaticam de angelis, de homine, ejus statu originali ac de protoparentum lapsu exponet quinquies vel sexies per hebdomadem hora X.
- II. Grammaticam linguae hebraicae docere perget addens exercitia interpretatoria ter per hebd. hora VII antem.

Dr. Franc. Hippler, P. P. O.

- I. Theologiae pastoralis partem alteram docebit sexies per hebd. hora VIII.
- II. De hymnologia sacra disseret diebus Lunae et Jovis hora VII.
- III. De Nicolai Copernici vita et systemate astronomico tractabit horis definiendis.

Dr. Franc. Dittrich, P. P. O.

- I. Historiam ecclesiasticam medii aevi enarrabit quater per hebd. hora IX.
- II. Jus canonicum tradet bis per hebd. hora IX.
- III. De arte ecclesiastica disserere perget semel per hebd. hora definienda.
- IV. Repetitiones de historia ecclesiastica instituet semel per hebd. hora definienda.

Dr. Hugo Weiss, P. P. O.

- I. Reliquam Evangelii Johannei partem et S. Pauli epistolam ad Hebreos interpretabitur ter per hebd. hora VIII.
- II. Selecta Geneseos capita explicabit bis per hebd. hora VIII.
- III. Introductionem in studium theologicum dabit horis definiendis.
- IV. Exercitationes Syriacas instituet horis definiendis.

Dr. Julius Marquardt, P. P. E.

- I. Doctrinam de virtutibus theologicis tradere perget, qua absoluta de religione et virtutibus moralibus disseret quater vel quinquies p. hebd. h. XI.
- II. Repetitiones et disputationes de rebus moralibus instituet semel p. hebd. h. XI.
- III. Apologetarum christianorum vitam et opera enarrabit horis def.

B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

Dr. Jos. Bender, P. P. O. h. t. Decanus.

- I. Historiam medii aevi inde a Carolorum exitu tradet ter per hebdomadem hora VIII.
- II. De Germanorum antiquitatibus disseret bis p. h. h. VIII.
- III. Selecta historiae antiquae capita critice tractabit semel p. h. h. VIII.
- IV. Historiam poesis christiana maxime apud Germanos enarrabit hora definienda.

Dr. Laurentius Feldt, P. P. O.

Veneranda senectute excusatus lectiones nullas habebit.

Dr. Friedr. Michelis, P. P. O.

Lectiones nullas habebit.

Dr. Wilh. Weissbrodt, P. P. O.

- I. Inscriptiones christianas interpretabitur bis hebdomade hora IX.
- II. Historiam artis antiquae imprimis sacrae enarrabit ter hebdomade hora IX.
- III. Exercitationes philologas instituet h. def.

Dr. Jos. Krause.

- I. Psychologiam tradet ter per hebd. hora X.
- II. Metaphysicam docebit ter per hebd. hora X.

Publica doctrinae subsidia.

Bibliotheca Lycei Regii, cui praeest **Prof. Dr. Weiss**, commilitonibus patebit diebus Martis et Veneris hora II—III.

Praeterea instrumenta, quae ad physicen, mathematicam et astronomiam pertinent, in Lyceo asservantur.